



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Semicenturia Variarum Resolutionum Moralium Pro Foro Interno, Atque Externo

Heislinger, Anton

Monachii, 1745

Casus XIX. De Virgine sub promissione matrimonii deflorata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40155

duntaxat contractum perfolvere. Constat responsio ex hactenus dictis; jure merito enim præsumitur Titius hoc legato tacitam compensationem voluisse suo Creditori facere.

Dico 8. Idem tenendum, si ex ordinatione legum introductum sit debitum, & nulla legati facti causa sit expressa.



Casus XIX.

De Virgine sub promissione matrimonii deflorata.

Livius studiosus honestam & optimæ famæ virginem, ut usum sui corporis sibi concederet, vera matrimonii promissione induxit; cùm autem, ut promissis stare, à deflorata urgeretur, hujus patrem deflorator convenit, &, ut suam filiam sibi in uxorem daret, expetit, quin aliquam de filia sub promisso matrimonio defloratione mentionem fecerit. Pater, quia non videbat media, quibus duo isti conjuges se possent sustentare, petitioni non consentit. Lætus hac repulsa Livius defloratæ significat, se nequaquam amplius ob dissentum paternum

sua promissione teneri. Occasione hujus casus

Quær. 1. An, & qualis restitutio sit faciendæ defloratæ virgini?

Quær. 2. An, & qualis restitutio sit faciendæ pro injuria per adulterium illata?

Quær. 3. An Livius noster à ducendâ deflorata fuerit immunis?

Synopsis.

§. I.

Resolvitur primum
quæsitum.

An

An, & qualis restitutio defloratae virgini sit facienda?

1. Stuprum in diverso sensu accipitur.
2. Ultro, & absque promissione matrimonii consentientem deflorans in foro interno ante sententiam judicis ad nihil obligatur.
3. Nec ipsis parentibus defloratae.
4. Diffamando tamen puellam ad damna inde subsecuta tenetur.
5. Per vim, aut fraudem stuprans faminam honestè viventem, in conscientia secuta exinde damna compensare tenetur.
6. Augendò eidem dotem, vel eandem ducendò.
7. Absque promissione matrimonii, & sine alio incommodo defloratae nihil debetur.
8. Afferuntur responsiones ad argumenta contraria.
9. Inducens ad stuprum sub promisso matrimonio tenetur per se eandem ducere.
10. Erit tamen in certis circumstantiis ab hoc exemptus.

11. Idem de ficta promissione tenendum.

12. Solvitur objectio superius adductae conclusioni opposita.

§. II.

Resolvitur secundum quæsitum.

An, & qualis restitutio sit facienda pro injuria per adulterium illata?

13. Damna adulterii sunt diversa.
14. Ultro consentienti adulterae nulla est restitutio facienda.
15. Nec etiam illius marito pro sola injuria ante sententiam judicis.
16. Nec etiam pro dedecore in pecuniis.
17. Ob partum subsequentem restitutio facienda etiam ab ipsa adultera.
18. Quandonam proles pro spuria habenda?

A a 3

§. III.

§. III.

Resolvitur tertium
quæsitum.

Utrum paternus dissensus fornicatorem à ducenda deflorata absolveris?

19. Responsio est negativa.

§. I.

Resolvitur primum
quæsitum,

An, & qualis restitutio sit facienda virgini deflorata?

- 1 **S**Tuprum latissimè acceptum est quæcunque copula illicita. Strictius verò est corruptio virginis aut viduæ præscindendo à vi illata. Adhuc strictius sumitur pro sola illicita defloratione virginis sine vi huic illata. Denique violenta virginis corruptio dicitur stuprum strictissimè acceptum; hæc species fornicationis superaddit rationem injuriæ, & specie à prioribus differt.
- 2 Dico 1. Qui sine fraude, aut metu incusso ultro consentien-

tem aut precibus inductam virginem seu viduam absque promissione matrimonii defloravit, in foro interno, & ante sententiam judicis ad nullam ex hoc capite restitutionem eidem faciendam obligatur; quamvis gravia eidem damna inde eveniant, sive in honore, sive in bonis fortunæ, eò quòd ità commodè nubere non possit sine notabili dotis augmento. Ità communis. Probat. Volenti nulla fit injuria: ergo per hoc defloratæ nullum damnum per injuriam intulit: ergo neque ad hoc damnum eidem reparandum est obligatus. Prob. consequ. non tenetur titulò injustæ acceptionis, nec titulò rei acceptæ: ergo &c.

Dico 2. Talis deflorator neque parentibus defloratæ ad aliquod damnum reparandum obligatur. Ità Molina *tract. 3. disp. 106.* Laym. *lib. 3. sect. 5. tract. 3. part. 3. cap. 13.* Lugo *disp. 12. sect. 5. n. 8.* Prob. Parentes non tenentur augere dotem defloratæ suæ filia, & hinc sponte damnum patiuntur, non augendo dotem; interea tamen ejusmodi defloratio præter malitiam fornic-

nicationis continere potest aliam specialem charitati oppositam, si non etiam injustitiæ erga parentes, quando scilicet dedecus in parentes redundat, & gravissimum exinde mœrorem isti concipiunt. Ità S. Thomas hic *quest. 154.*

4 Dico 3. Licet talis deflorator ex solo titulo deflorationis ad nullam compensationem defloratæ teneatur; si tamen hoc facinus occultum aliis manifestans, puellam non sine magna injuria infamavit, tenetur damnum eidem exinde tum in fama, tum in bonis fortunæ illatum & consequens compensare. Ità docent Molina, & Lugo locis citatis. Prob. Quilibet tenetur damna in honore aut bonis cum injuria alteri illata compensare: sed hic &c. ergo &c.

5 Dico 4. Qui per vim aut fraudem virginem, viduam, aut aliàs jam quidem defloratam, sed modò honestè viventem puellam defloravit, tenetur in conscientia etiam ante sententiam judicis damna inde secuta, & pecuniis reparabilia compensare. Ità communis. Probatur. Fuit injusta causa omni-

um istorum malorum: ergo ex titulo injustæ acceptionis ad illa reparanda obligatur.

6 Ex quo sequitur, talem defloratorem debere augere dotem defloratæ, si non æquè bene amplius nubere, ut antea possit, & quòd si dotare eam nequeat, aliis bonis actibus illi procurare, hoc tenebitur, aut demum ipsam etiam ducere, nisi ex tali matrimonio aliquod grave incommodum, quia v. g. est conditionis nobilioris, ducenti oriretur; Ratio hujus exceptionis est, quia, si multò plus restitutor expendere debet, quàm ratio debiti exigat, tunc juxta Laym. & Illung erit ille excusatus.

7 Dico 5. Si ex defloratione etiam per injuriam facta, absque tamen matrimonii promissione, nullum aliud defloratæ damnū sequatur, eò quòd defloratio non advertatur, vel non curetur, ideòque illa æquè bene nubere possit, quàm si defloratio abfuisset, aut si nubere illa probabilis non velit, juxta probabilem multorum sententiam deflorator ad nullam restitutionem tenetur. Ità Lessius *lib. 2. cap. 10. dub. 2. n. 15.* Laym. Lugo cum aliis

aliis ab his citatis. Probat, pro sola injuria ac secluso damno alio nulla fieri debet restitutio etiam juxta ipsos adversarios; atqui in tali casu defloratae nullum inferitur damnum, réque ipsa est injustè per læsionem virginitatis illatum: ergo nulla reparatio est facienda. Prob. maj. integritas virginalis est irreparabilis, & inæstimabilis pretiò: ergo pro ipsa non est facienda restitutio saltem ante sententiam judicis: ergo &c. Antecedens probant AA. hujus sententiæ ex eo, quòd non possit determinari, quantum pro amissa virginitate debeat restitui, cum enim ista cunctis thesauris sit æstimator, nunquam pro illa restitui quid poterit, ut non plus exigi possit. Secundò ajunt, ut detur pro virginitate obligatio restitutionis, debet per illam deflorata posse restitui in priorem statum, vel formaliter, vel æquivalenter, sed hæc restitutio non potest fieri per restitutionem factam in bonis fortunæ, & diversi ordinis nullam cum ablata commutationem subeuntibus: ergo &c. Confirmant, restitutio non fit nisi in bonis com-

mutabilibus, per quam scilicet unum comparari potest per alterum, quando ipsa res ablata restitui non potest; hoc enim tantummodo posito intenta per justitiam æqualitas obtineri potest, quæ exigit, ut damnificatus recipiat id, quod suum est: ergo cum per bona diversi ordinis non amplius possit comparari virginitas, per illa non poterit fieri restitutio.

Confirm. 2. Si bona superioris ordinis debent compensari per bona ordinis inferioris, tunc, qui alium impedivit injustè ab ingressu in Religionem, bonis scilicet spiritualibus, aut in bonis famæ, nec damna ista aliter reparare posset, deberet illa pecuniis compensare, quod tamen communi sensui videtur repugnare.

Ad illa, quæ contrariæ sententiæ DD. opponunt tum ex legibus, tum ex rationibus, respondent, illis duntaxat probari, quod post sententiam judicis primùm detur obligatio alicujus compensationis læso faciendæ.

Si dicant, lædentem alios in honore obligari ad restitutionem pro hoc ipsi læso faciendam, ergo

ergo etiam pro violata virginitate. Resp. disparitatem esse, quia in bonis honoris & famæ per restitutionem obtineri potest æqualitas, & læsus in statum priorem restitui formaliter vel æquivalenter: non item in amissa virginitate; nec aliquid sufficienter probatur ex eo, quod impotens ad solvendum æquale non excusetur à dando aliquid minus; hoc enim tunc solum habet locum, quando æquale & minus sunt in bonis ejusdem ordinis, cujus non sunt virginitas & pecuniæ. Dein quia justitia intendit æqualitatem pro damno non secundum qualemcunque læsi æstimationem, sed ut illud, quod injustè ablatum est, alter habeat rursus vel in se, vel in æquivalenti, hoc est in pretio, quo possit illud, vel aliud simile comparare; ideo circa obligationem restitutionis non est habenda ratio illius, quod læsus habere desiderat.

9 Dico 6. Si defloratæ puellæ matrimonium verè promiserit, & hac promissione ad flagitium induxerit, per se ac regulariter tenetur eam ducere, etsi eidem nullam vim intulerit. Ità com-

munis. Prob. omnis sub conditione onerosa facta alteri promissio, conditione impleta, debet impleri ex justitia.

Diximus hanc obligationem¹⁰ per se dari, per accidens enim in concurrentibus certis circumstantiis excusabitur deflorator, si scilicet magnum scandalum oriatur ex tali matrimonio, aut alius malus ejusdem exitus timeatur, uti pluribus videri potest apud Sanchez *lib. 1. de matrim. disp. 10. & disp. 14.*

Secundò, si postea puella cum alio fornicetur, aut aliud crimen divortio dignum committat.

Tertiò, si deflorator promiserit puellæ nuptias, si eandem virginem esse deprehenderit, & postea contrarium deprehendat.

Quartò, si quoddam legitimum matrimonii impedimentum intervenerit, ut si fiat ejus affinis &c.

Quintò, si puella non velit ducere defloratorem.

Sextò, si post factam promissionem puella lepram, paralytin contrahat, aut alium quemcunque incurabilem morbum, vel gravem corporis deformitatem, aut gravem infamiam.

11 Dico 7. Qui puellam cum promissione matrimonii etiam ficta defloravit, per se ac regulariter tamen obligatur eandem subsecuta defloratione ducere. Ità communis. Prob. qui acceptat aliquid sub conditione onerosa datum, tenetur ex iustitia se ad illam conditionem verè obligare, &, quando potest, conditionem verè implere; sed talis acceptavit usum corporis sub conditione secuturi matrimonii, & potest illam implere: ergo &c.

Diximus autem hanc obligationem dari *per se ac regulariter*. excipiuntur enim casus antea primùm allati. Item, quando puella ex omnibus circumstantiis facilè potuit colligere, promissionem istam merè fictam esse, & nequaquam seriam.

12 Denique satisfaciendum rationi, quam adversarii nostræ superiùs adductæ conclusioni obijciunt, sequenti modo; potest defloranda à defloratore certam pecuniam v. g. expetere ratione periculi, aut cujusdam alterius damni, quod ex hac defloratione eidem evenire potest: quòd si autem dein finitò peri-

culò nullum damnum defloratæ evenisset, ex vi illius conclusionis sequitur, quod acceptum ob hoc periculum denuo defloratori teneatur restituere, quia tunc nullum aliud damnum præter solam deflorationem accepit. Resp. negandò sequelam. Ratio est; quia talis v. g. pecunia fuit defloratæ data vel promissa, eò quòd hæc in se periculum alterius cujusdam fortè subsecuturi damni, consequenter ex quodam pacto receperat: ad tale autem pretium restituendum non datur postea ulla obligatio, postquam illud periculum est discussum, uti patet in aliis etiam materiis. Ratio autem illius est; quia receptio talis periculi est pretiò æstimabilis; quia autem susceptio in se periculi, damni, si hoc jam est discussum, non est pretiò æstimabilis, hinc si nullum antea de hoc fuerit pactum initum, non poterit ex hac ratione deflorata à defloratore aliquid exigere.

§. II.

Resolvitur II. Quæsit.

An,

An, & qualis restitutio sit facienda pro injuria per adulterium illatum.

13 **A**dulterans potuit ultro consentire in hoc flagitium aut dolò, metùve coacta: item vel consentiente aut ignaro altero conjugè. Damnum ex adulterio proveniens est dedecus in conjugem innocentem redundans, vel jactura in bonis fortunæ. Demum ex partu flagitium consequente decedit subinde multum reliquis legitimis adulterantis liberis. Qualis istis omnibus restitutio sit facienda, modò examinabimus.

14 Dico itaque 1. Qui cum maritata ultro consentiente adulterium commiserit, ipsi saltem adulteræ ad nullam restitutionem obligabitur, quòd etiam locum habet, si vi, aut per fraudem, vel metu ad flagitium illam induxisset; in foro enim interno & ante sententiam judicis ad restitutionem ipsi faciendam non est obligatus. Ità communis. Excipe casum, quo forsàn exinde damnum aliquod pecuniis reparabile eidem fuisset illatum. Probat, conclusio rationibus in

præcedente §. n. 2. allatis in casu fornicationis.

Dico 2. Nec etiam marito adulteræ pro sola injuria per adulterium illata restitutio pecuniaria est facienda. Ità communissima cum Molina *tract. 3. disp. 100.* Lugo *disp. 13. sect. 1.* Probatur conclusio ex sensu communi, & praxi perpetua tum poenitentium, tum Confessorum etiam doctissimorum. Probat 2. pro sola injuria transeunte & nullum damnum post se trahente nulla facienda est restitutio. Prob, in judicio temerario infertur alteri injuria, quin illud inducat obligationem restituendi: ergo &c. Tertio probatur ab aliquibus ex eo, quod injuria diversi & altioris ordinis non sit reparabilis pecuniis, quæ sunt ordinis inferioris.

Dico 3. Nec etiam pro dedecore in maritum ex notorio conjugis adulterio redundante ipsi facienda est aliqua restitutio, seu compensatio pecuniaria. Ità rursus valde communis, quam sententiæ hujus patroni probant rationibus in priorè §. pro conclusione 4 ta. allatis. Diximus tamen non de-

bere marito pro tali dedecore fieri aliquam compensationem pecuniariam, si enim alia fieri possit per bona ejusdem ordinis, scilicet illum honorandò, vel ad altiorem gradum elevandò, faciendum id erit juxta Laym. sectione proximè citata, ubi tamen addit, maritum adulterum ex hoc capite non videri obligatum ad aliquid innocenti uxori restituendum, quia hæc ex mariti adulterio nullum dedecus vel infamiam communiter incurrere censetur.

17 Dico 4. Si post flagitium sequatur partus, & sufficienter constet, adulterum esse patrem, obligatus iste erit (quantum quidem sine infamiatione fieri potest) restitutionem facere & in primis patri putatio, seu adulteræ marito ob alimenta spurio præbita, vel ob dotem filia spuria solutam. Secundò etiam reliquis legitimis liberis ob intrusum damna patientibus. Ità Molina *tract. 3. disp. 103.* Lessius *cap. 10. dub. 6.* & communis. Prob. adulter est omnium horum damnorum causa injusta: ergo debet illa ex justitia reparare; si tamen utriusque parentis

consensu adulterium est commissum, istiusque dissimulatione factum, ut inter legitimos proles spuria educaretur, etiam mater adultera venire in partem hujus restitutionis debet, siquidem potest; eò quòd & ipsa omnium horum damnorum injusta causa fuerit. Imò, si adulter reparare illa ne quidem ex parte posset, tota reparare debet mater, & vicissim, cum uterque parens in solidum obligatur, uti communi plurium cooperatione illata in aliis materiis damna in solidum quemlibet obligant.

Hucusque allata videntur pluribus & majori DD. parti arduè, non modica autem superest difficultas, ut determinetur, quanta requiratur & sufficiat notitia de eo, quòd proles concepta sit ex adulterio? Utrum scilicet sufficiat probabilis, vel requiratur certa? Si Lugoni *disp. 13. n. 2.* & Haunold. *tract. 2. c. 6. n. 100.* credimus, communis sententia requirit notitiam moraliter certam, hinc dubiam, vel merè probabilem rejiciunt ut insufficientem, quando scilicet probabilitas etiam pro opposi-

posita habetur, & quidem ex hoc fundamento, quia natales illegitimi magnum præjudicium afferunt, hinc in utroque foro præsumitur illa esse legitima, nisi certò de opposito constet: ergo idem tenendum erit in nostro casu. Secundò, Filius ratione suæ matris est in possessione filiationis legitimæ, ergo ob solum aliquod dubium, vel in oppositum stantem probabilitatem non potest legitimè ex sua possessione deturbari.

Molina tamen *disp. 103.* proximè citata, *n. 3.* cum Layman. *tract. 3. p. 3. c. 14. n. 3.* censet, quòd si incertum sit, utrùm proles sit vel non sit ex adulterio prognata, adulter sit obligatus in foro saltem conscientie data damna resarcire pro quantitate dubii, rationem dat Laym. quia, cum dubium sit, quinã ex duobus sit pater prolis, æquitas non patitur, ut unus eorum omnia ipsi alimenta præstare debeat, alter verò sit omnino immunis: oportet itaque illos contribuere secundùm proportionem probabilitatis, quod confirmatur ex praxi in foro externo; in hoc enim, quando dubitatur, qui-

nam ex duobus fornicantibus sit pater prolis, juxta quosdam AA. uterque ad alimenta præbenda proli condemnandus erit.

Confirm. 2. Quando duo sunt in possessione suarum rerum, & dubium, atque incertum est, uter eorum debeat privare se parte suorum bonorum in favorem tertii, cui ab alterutro est succurrendum, tunc conferunt in eandem rem ambo aliquid, scilicet quilibet pro quantitate dubii vel probabilitatis ipsi faventis. Simile autem quid in nostro casu contingit: pater enim putatitius ex suo tenetur alimenta præbere proli adulteræ, vel ipse adulter: ergo, ubi datur dubium & probabilitas, pro utroque etiam contributio inter illos erit dividenda.

§. III.

Resolvitur III. Quæsit.

Utrùm dissensus paternus fornicatorem nostrum ab obligatione ducendi defloratam absolvit?

Juxta speciem facti Livius fornicator absotutè petiit sibi filiam

liam in conjugem dari, nec minimam mentionem de promissione matrimonii & deflorata ex illo puella fecerat. Parens igitur circumstantiæ hujus & obligationis Livii prorsus ignarus extitit, cum igitur parentes optimè sciant difficultatem, quam corruptæ puellæ circa suo statui conforme matrimonium acquirendum patiuntur, & quòd ab ipsis parentibus major dos eisdem sit assignanda, hinc omnibus viribus illi laborant, ut corruptor talem defloratam in uxorem recipiat, nisi omnino quædam eisdem difficultas in tali

matrimonio secutura absterreat. Dissensus itaque patronus in hoc casu videtur esse involuntarius, cum processerit ex ignorantia prorsus inculpabili hujus deflorationis, & promissi ad hanc obtinendam matrimonii, qua habita certò consensurus petitioni defloratoris fuisset, cum nulla ratio in his circumstantiis occurrerit, quæ patrem ad denegandam corruptam filiam corruptori in matrimonium prudenter persuadere potuerit, præsertim cum Livius nobilis & divitis parentis filius extiterit.



Casus XX.

De Monasterio ob emptum à suo Religioso capreolum à seculari iudice multato &c.

Religiosus quidem frater Laicus officio procuratoris in monasterio suo fungens in scio Prælate emit capreolum à quodam venatore, decenter juxta suum statum vestitò, consuetò & communi pretiò, trium scilicet

florenorum, cum autem fera in quadam civitatis domo deposita fuisset, monasterii secularis famulus ad eam apportandam à fratre mittitur, qui capreolum sacco vel corbi inclusum, & hinc occultatum in monaste-